Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Savino et Savina

urn:nbn:de:bsz:31-66161

quod dixerunt imperatori. Desiderat te uidere. Qui cum uenisset et nollet sacrificare, manus eius et pedes fecit ligari et nervis ferreis cedi. Cum Savinianus ad augmentum tormenti, si potest, iussit eum in medio ciuitatis super scamnum ligari et suppositis oleo et igne incendio cremari. Rex autem intuens uidit eum in media flamma stantem pro populo et orantem; stupefactus in faciem suam cecidit et surgens ei dixit: Fera mala, non tibi sufficiunt animae quas decepisti, nisi et nos per magicam artem decipere moliaris? Cui Savinianus ad hoc: Multi et tu ipse per me sunt domino credituri. Cum autem imperator ex hoc nomen domini blasphemasset, in crastinum iussit eum ad stipitem ligari et sagittari. Sagittae autem a dextris et a sinistris in aere suspendebantur, nec aliqua eum laesit. Altera die imperator ad eum ueniens dixit ei: Et ubi est deus tuus? ueniat nunc et de sagittis istis te liberet. Statimque una de illis sagittis exiliens regem in oculo percussit et penitus excaecauit. Unde iratus iussit eum in carcerem recipi et in crastino decollari. Savinianus autem orans ut ad locum ubi baptizatus fuerat transferretur, confractis cathenis et apertis hostiis per medios milites transiens illuc uenit. Quod audiens imperator iussit eum illuc insequi et capite truncari. Videns autem Savinianus milites insequentes, se aquae uelut supra petram ambulans, quousque ad locum sui baptismi peruenit. Cum igitur milites transiuissent et eum pariter formidarent, ait illis: Securi me percutite, et de sanguine meo ad imperatorem deferte, ut lumen recipiat et dei uirtutem

agnoscat. Passus igitur caput suum lauauit et passibus xl illud portauit. At cum imperator cum de eius sanguine oculum tetigisset, continuo sanatus est dicens: Uere bonus et magnus est deus christianorum. Quod audiens quaedam matrona quae xl annis lumen amiserat, ad locum portari se fecit et facta oratione protinus lumen accepit. Passus est autem circa annos xl kalendas februarii. Sed hic id inseritur ut historiae sororis suae cum festum passionis revoluitur, hic quoque huiusmodi coniungatur. Cum igitur soror eius Savina fratrem suum cotidie fleret et pro ydolis supplicaret, tandem sibi dormienti apparuit angelus dicens: Savina, noli flere, sed quaecumque habes derelinque et inuenies fratrem tuum in honore maximo constitutum. Quae euigilans collectaneae suae dixit: Amica mea, aliquid nescis? Et illa: Tu domina? Iam uidi hominem mecum loquentem, sed nescio quid dicturus est. Non me inquit accusabis? Et illa: Absit domina. Quaecumque uis facias, tamen non te occidas. Sicque in crastino ambae recesserunt. Cum igitur pater diuersa inquiri fecisset et non inuenisset, eleuatis manibus in caelum ait: Si tu es deus potens in caelo, ydola mea comminue quae natos meos saluare non potuerunt. Tunc dominus intonans omnia comminuit et confregit, quod multi uidentes crediderunt. Beata Savina Romam ueniens ab Eusebio baptizatur papa et duos caecos duosque contractos sanauit. V annis ibi permansit. Cum dormienti apparuit angelus dixit: Savina Romam ueniens ab Eusebio baptizatur papa et duos caecos duosque contractos sanauit. V annis ibi permansit. Cum dormienti apparuit angelus dicens: Savina quid est quod facis ut tuas diuitias dese ieris

autem hic in deliciis epuleris. Surge et vade intra civitatem ut fratrem tuum ibidem invenias. Dixit ergo famule sue: Non oportet nos hic amplius habitare. Et illa: Domina, quo vis ire? Ecce omnes valde te diligunt et tu peregre mori appetis? Et illa: Deus nobis providebit. Et accipiens panem ordeaceum in urbem Ravennam devenit, veniensque ad domum cuiusdam divitis, cuius filia que mortua plangebatur, se ibidem a famula hospicio recipi postulabat. Que ait: Domina mea, quomodo hospitari valebis, filia domine mee moritur et omnes graviter se affligunt. Non propter me inquit morietur. Intravit igitur et manum puelle apprehendit, sanamque erexit. Et cum vellent eam retinere, illa renuens abscessit. Cum igitur iter agens ad miliare unum venisset, dixit famule sue ut modicum repausaret. Et ecce vir quidam nobilis nomine Licerius de civitate veniens dixit eis: Unde estis? Cui Savina: Hinc sum de ista civitate. Et ille: Cur mentiris? cum loquela tua te iudicat esse peregrinam. Et illa: Vere peregrina sum et fratrem meum Savinianum diu perditum requiro. Qui dixit: Vir iste quem queris ante paululum pro Christo decollatus est et in tali loco sepultus. Tunc prostravit se in oratione ait: Domine qui me semper in castitate servasti, non permittas me amplius duris itineribus fatigari, nec corpus meum de loco isto ultius moveri. Commendo tibi famulam meam que propter me tanta sustinuit, fratremque meum quem hic videre non potui fac ut in regno tuo videre merear. Finita oratione migravit ad Dominum. Quod videns eius famula cepit flere, quia ad sepeliendum necessaria non habebat. Predictus autem vir per preconem per civitatem misit ut omnes ad sepeliendum mulierem peregrinam venirent. Qui venientes honorifice eam sepelierunt. Hac quoque die est festum sancte Sabine que uxor Valentini militis cum nollet sacrificare sub Adriano imperatore decollata est.

De sancto Lupo Senonensi

Lupus apud [illegible] Aurelianum ex genere regali ortus, cum cunctis virtutibus enitesceret, Senonensis archiepiscopus est electus. Qui cum omnia fere pauperibus erogaret et quadam die ad convivia plurimos invitasset, cum vinum ad medium non haberet, sic dixit ministro: Credo quod Deus qui volatilia pascit vinum perficiet caritati nostre. Et statim nuntius affuit qui centum vini modios ad ostium pre foribus nuntiavit. Cum omnes clerici sibi vehementer detraherent quod virginem quandam filiam predecessoris sui nimis et immoderate amaret, coram detrahentibus ipsam virginem apprehendens osculatus est eam dicens: Sic nocent homini verba aliena quem ipsa non maculat conscientia. Quoniam ipsam Dominum amare ardenter cognoverat, eam mente purissima diligebat. ¶ Cum rex Francorum Lotharius Burgundiam intrasset, senescalcum suum contra Senones direxisset ut civitatem obsideret, sanctus Lupus ecclesiam sancti Stephani ingressus campanam pulsari fecit. Quam hostes audientes tantus terror invasit ut nisi fugerent mortem se evadere non putarent. Tandem obtento regno Burgundie cum rex alium senescalcum Senonis misisset et beatus Lupus ei cum muneribus non occurrisset, indignatus nimis adeo eum apud regem infamavit ut rex beatum Lupum in exilium destinaret. Qui ibi doctrina et miraculis valde emicuit. Interea Senonici quendam episcopum qui locum sancti Lupi invaserat occiderunt, ut sanctus Lupus de exilio rediret, urgente impe-